

et genera, et partes generibus subjectas, et similitudines, et dissimilitudines, et contraria, et consequentia, et consentanea, et quasi praecurrentia, et causas rerum vestigabimus, et ea, quae ex causis orta sunt; et majora, minora, paria, quaeremus. Ex conjunctis sic argumenta ducuntur: *Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, quum Q. Metellum tam pie lugere videatis.* Ex genere autem: *Si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cuius tribunatus voluntati paruit civitatis?* Ex parte autem ea, quae est subjecta generi: *Si omnes, qui rei publicae consulunt, cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis, virtute, periculis, retinemus et nostram salutem, et imperii dignitatem.* Ex similitudine autem: *Si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?* At ex dissimilitudine: *Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Atque utroque in genere et similitudinis, et dissimilitudinis exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, et fictae narrationes saepe ponendae. Jam ex contrario: *Si Gracchus nefarie, praecclare Opimius.* Ex consequentibus: *Si et ferro imperfectus ille, et tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, et nemo praeter te ibi visus est, et causa nemini, et tu semper audax: quid est, quod de facinore dubitare possimus?* Ex consentaneis, et praecurrentibus et repugnantibus, ut olim hic Crassus adolescens: *Non, si Opimum defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. Simulasse te, et aliquid quaesisse perspicuum est, quod Tib. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis discedisti.* Ex causis autem rerum sic: *Avaritiam si tollere vultis, mater ejus est tollenda, luxuries.* Ex iis autem, quae sunt orta de causis: *Si aerarii copiis et ad belli*